

H. Sauter's Formosa-Ausbeute. Chalcididae (Hym.)

Von L. Masi - Genua.

(Mit 46 Abbildungen.)

I. Teil (Fortsetzung).

7. *Podagrion viduum* sp. n.

Specimen unicum ♂. Anping VII.

♂. Viridi-aeneus, capite obscure viridi, facie aurea, dorsello atque mesothoracis lateribus leniter auratis, metanoti spatio triangulari apicali chalceo; oculis brunneis, flagello grisescente-ochraceo, scapo pedibusque anterioribus cum tarsis, fulvis; pedibus posticis coxa nigro-viridi, apice flavida, femore, tibia et articulo primo tarsali castaneis, tarso reliquo pallido; alis fere hyalinis, nervis griseis; abdomine basi rufescente-brunneo, apice obscuro subaeneo, ad medium flavo-cingulato.

Caput thorace latius proportionem 100:89, antice visum rotundatum, inferne angustatum, longitudine $\frac{9}{11}$ latitudinis aequante, antennis paullo supra mediam faciem insertis, scrobe determinata, genis brevibus; de latere inspectum crassum, facie tumescente, ubi antennae inseruntur magis prominula, fronte valde obliqua, cum vertice continua. Ocelli majusculi, immersi, inter se et ab oculis spatio ipsorum diametrum aequante remotis, anterior lineae posterioribus tangenti contiguus. Linea occipitalis ubique distincta.

Antennae scapo brevi, antice laminato-compresso; pedicello dimidiam scapi longitudinem aequante et bis longiore quam latiore; anello brevi, bis latiore quam longiore, diametro apicali basalem conspicue superante; funiculi articulis leniter curtantibus, primo latitudine sua sesquialongiore; clava non dilatata, articulis praecedentibus duobus et dimidio aequilonga.

Thorax sat robustus, duplo longior quam latior, collari antice truncato, postice margine scuti modice curvato terminato; scapularum sulcis bene conspicuis at non ultra $\frac{2}{3}$ longitudinis extensis; axillis spatio remotis $\frac{1}{3}$ scuti lateris posterioris aequante; scutello foveolis parvis circa duodecim, fere omnibus subquadratis, prope limbum impresso,

hoc valde prominente, crassiusculo, apice retuso, versus latera leniter sinuato; postscutelli sulco transversali costis nullis longitudinalibus interrupto, dorsello conspicue reticulato-sulcato; metanoto costis duabus arcuatis, antice fere contiguis et quasi carinam longitudinalem formantibus, deinde ad mediam longitudinem divergentibus, sed latera non attingentibus, cum metanoti eminentiis posticis submedianis costulis longitudinalibus, ternis in utroque latere, con-




Fig. 12. *Podagrion viduum* ♂.

a antenna, b caput de latere inspectum cum scapo et pedicello, c prothoracica pars stigmatica, d mesothoracicus latus cum metapleura, e femur posticum, tibia et metatarsus.

nexis; area pentagonali ita inclusa carina media divisa, hac a margine posteriore antrorsum brevi spatio producta; spiraculis ellipticis; superficie reticulata-alveolata, foveolis extra aream pentagonalem regulariter in seriebus obliquis, parallelis, dispositis. Metapleura reticulata-squamosa, nitida, juxta margines pilis sat frequentibus instructa. Mesosternum atque mesopleura conspicue reticulata, areolis mesosterni excavatis, mesopleurae versus marginem posticum sensim minoribus; mesepimerum sat discretum, subrectangulare, $\frac{2}{3}$ metapleurae attingens; fovea juxta metapleuram ovalis, alte in linea cum huius

apice impressa; pili mesosterni frequentes, fimbriam formantibus; praesternum parvum, crasse limbatum.

Proalae longitudinem thoracis superantes proportionem 187:100, cellula basali glabra, costali pilosula, nervo stigmatico fere nullo, clava parum dilatata et margine interiore convexo, exteriori recto, terminata; cellulae costalis, nervi marginalis, postmarginalis et stigmatici proportionem sicut 100:74:15:7.

Pedes postici coxa minus elongata, $\frac{4}{5}$ femoris longitudinis attingente, femore oblongo, latitudine $\frac{2}{5}$ longitudinis aequante, latere dorsali leniter bisinuato, ventrali dentibus quatuor instructo, his valde




Fig. 13. *Podagrion viduum* ♂.
Metanotum cum dorsello et scutelli
apice.

inter sese, ultimis tamen minus, remotis, primo parvo, ceteris sensim longioribus, validis, ultimo triangulari subaequilatero; tibia basi ampla, mox pone articulationem femoralem fortius incurva, deinde leniter arcuata, attenuata, in parte tertia distali confertim et oblique strigosa, latiore, apice femoris basim superante, non oblique truncato, nec processu apicali instructo; calcari parvo. Tarsi omnes breves, articulo primo compresso, latitudine quinquies longiore, sequentibus simul sumptis quam primo brevioribus, 2., 3. et 4. parum latitudine longioribus.

Abdomen elongate triangulare, paulum thorace longius.
Long. 3 mm.

Gen. *Pachytomoidella* Girault.

Bull. Viconsin Nat. Hist. Soc., XI, 1913, p. 40.

Mem. Queensland Mus., IV, 1915, p. 293.

Auctoris diagnosis (1915): „This genus differs from *Podagrion* Spinola in having the club solid and enlarged, the distal four funicle joints transverse, the club as long as the funicle. The scutellum

lacks the cross-suture before apex and the postmarginal vein is only a little longer than the stigmal".

Species typica: *Pachytomoidella magniclavus* Gir., Queenslandiae, cui affinis videtur species nova hic descripta, quamquam clava antennali distincte segmentata differens.

Characteres generici: antennae breves, articulo tertio annulari, articulis funiculi transversis, clava segmentata vel solida; scutellum freno nullo; metanotum latum, area media pentagonali etiam lata; abdomen feminae modice compressum.

Pachytomoidella helictoscela sp. n.

Specimen unicum ♀. Kankau VIII., 1912.

♀. Aenea, capite praeter verticem aurato, scapo ochraceo, flagello rufo-ferrugineo, clava obscuriore, oculis brunneis; pedibus anterioribus ochraceo-flavis, at femoribus infuscatissimis tarsorumque articulis tribus ultimis pallidis; pedibus posticis femore aeneo, basi flavescente, apice item atque tibia castaneo, articulis tarsalibus 1. et 2. avellaneis, sequentibus pallidis; alis leniter, nervis saturate, flavo-griseis; terebrae valvis terebraeque ipsa stramineis; pilis corporis pedumque albis.

Caput vix thorace latius, antice visum rotundato-triangulare, latitudine brevius proportionem 77:100, antennis media facie insertis, linea oculari inferiore in $\frac{1}{3}$ longitudinis, epistomate obtusissime carinato; de latere inspectum ovatum, latitudine $\frac{65}{100}$ longitudinis aequans; vertice minus tereti, ocellis eodem spatio inter se atque ab oculis remotis, hoc spatio ipsorum diametrum aequante, ocello anteriore lineae posterioribus tangenti contiguo; foveola ocellis singulis adiecta profunde impressa. Sculptura minutissime punctulata, super verticem amplificatione 20 diam. fere inconspicua. Linea occipitalis tenuis. Mandibulae 3-dentatae, dente interiore truncato, exterioribus acutis.

Antennae valde abbreviatae, crassae, scapo ocellum attingente, flagello quam capite paulum longiore, pedicello pyriformi, anello conspicuo at transversus, funiculi articulis sensim latioribus atque brevioribus, primo subquadrato, ultimo quam primo sesquialtero, longitudine $\frac{1}{3}$ latitudinis suae attingente, clava magna, ovata, funiculo fere aequilonga, at conspicue latiore, in articulos subaequilongos divisa.

Thorax sat robustus, dorso fere plano, subnitido, pilis brevibus crassis albis, minutissime punctato-alveolato, foveolis amplificatione

20 diam. conspiciendis; collari, superne inspecto, antice recte terminato, postice leniter concavo, longitudine ad medium $\frac{1}{4}$ ipsius latitudinis, $\frac{2}{5}$ longitudinis scuti aequante; mesonoti parte praeaxillari fere sesqui-latiore quam longiore; scapularum sulcis tenuissimis, vix microscopio conspicuis; scutello postice foveis subquadratis circa viginti ad limbum seriatis impresso, limbo lato, prominulo, nitido, angulum obtusum, non apice rotundatum, fingente. Dorsellum subnitidum, microscopio inspectum reticulo minutissimo insculptum. Metanotum latum, costis duabus ex eius margine anteriore ortis, prope




Fig. 14. *Pachytomoldella helictoscela* ♀.

a caput cum antenna, b prothoracicus nervus stigmaticus et postmarginalis, c metanotum cum dorsello et scutelli apice, d pes posticus.

hunc marginem fere contiguus ac modice divergentibus, deinde fortiter extrorsum versis areamque pentagonalem cum costis sublateralibus includentibus: hac area lineis elevatis irregularibus, retrorsum oblique vergentibus, at subparallelis insculpta; superficie inter marginem anteriorem et aream pentagonalem minutissime reticulato-punctata. Metapleura subtiliter reticulato-sulcata, pilis satis numerosis, sulco conspicuo intra marginem limitata. Praesternum triangulare aequilaterum. Mesosternum confertim punctatum; mesopleurae sculptura antice ab illa mesosterni haud diversa, deinde sensim minuitore, pone foveam rotundam in sculpturam transiens reticulato-sulcatam, quae a sculptura metapleurae non differt.

Prothoracici abdominis apicem attingentes, usque ad praestigma fere

glabrae, cellula costali pubescente, huius, nervi marginalis, postmarginalis et stigmatici proportione sicut 100:55:8:6; clava triangulari, lata.

Pedes crassi, femoribus anterioribus margine postico fortiter convexo-arcuato; femore tertii paris pedum elliptico, basi et apice angustiore, latitudine fere dimidiam longitudinem aequante (proportione 45:100), dentibus sex validis instructo, quorum secundus et quartus $\frac{3}{4}$ primi ac tertii attingentes, duo ultimi magni, triangulares, contigui et ad mediam longitudinem connati; tibia postica robusta, oblique costis acutis subsinuatis strigulosa, costulis aliis brevioribus interpositis, margine apicali etiam sinuato, minus obliquo; calcariparvo. Tarsi breves, articulis 1. et 2. compressis, primo pedum intermediorum quam 2. duplo longiore, pedum posticorum fere secundo aequilongo; articulis 3. et 4. brevissimis.

Abdomen thorace vix longius, subtriquetrum, tergitis 1.—4. fere membranaceis, medio dorso late angulatum excavatis, tergito 5. fere totum tertium apicale occupante, margine haud concavo. Terebra valde abbreviata, $\frac{1}{4}$ abdominis longitudinis vix attingens.

Long. 4,55 mm., terebrae 0,45.

Nomen: *ἐλικτός*, spiralis; *οὐχίλος*, pars tibialis cruris.

Gen. *Pachytomoides* Girault.

Can. Ent., XLV, 1913, p. 143.

Mem. Queensland Mus., IV, 1915, p. 293.

„Differs from *Podagrion* Spinola in lacking a ring-joint in the antennae; the sculpture of the scutellum at apex is abruptly smoother indicating the cross-suture.“ (Girault, 1915, l. c.).


Species typica: *Pachytomoides mirus* Gir., Queenslandiae. Huic generi etiam pertinent *P. queenslandica* Gir. et *P. frater*, eiusdem auctoris, in New South Wales inventus, nec non species tres formosanae hic descriptae, *P. creurgomerus*, *orchesticus*, *megarhopalus*: quibus affines mihi videntur Grawfordii species *P. Ashmeadi*, manilensis, et *P. Greeni*, taprobanica.

Characteres generici. Antennae longae, articulo tertio latitudine longiore, nec annulari. Scutellum freno sculptura minus conspicua et minutiore distincto. Metanotum neque carina neque costis obliquis instructum, area pentagonali mediana nulla. Nervus postmarginalis longus, stigmaticus $\frac{1}{3}$ vel $\frac{1}{4}$ huius longitudinis, interdum $\frac{1}{2}$ aequans. Abdomen feminae compressum.

1. *Pachytomoides hornianus* sp. n.

Specimen unicum ♀. Kosempo VII, 1911.

♀. Obscure viridis, mesothoracis lateribus concoloribus, capite viridi, oculis fusco-rubris, ocellis brunneis, mandibulis piceis; scapo luteo, funiculo obscure ochraceo, clava brunnea; pedibus anterioribus fulvis, coxa autem femoreque pedum anteriorum magis rufescentibus; pedibus posticis coxa item atque metapleura nigrocyanea, in parte tertia apicali flavida, femore tibiaque brunneis, illo dentibus

Fig. 15. *Pachytomoides hornianus* ♀.

a caput, b nervus stigmaticus et postmarginalis, c caput de latere cum scapis et pedicellis, d flagellum, e femur posticum cum tibia et metatarso, f caput superne visum.

non obscurioribus, basique intus ochracea; tarso flavido, sed metatarso minus pallido; proalis griscentibus, macula parva stigmatica incerte limitata, nervisque dilute brunneis, excepto nervo humerali pallido; abdomine brunneo lutescente, dorso ac terebrae valvis obscurioribus, tergito primo antice obscure viridi, postice pallido.

Caput thorace haud latius, antice visum rotundatum, longitudine $\frac{4}{5}$ latitudinis vix superans, oculis magnis, lineaque oculari inferiore ad $\frac{1}{5}$ faciei longitudinis, genis fortiter obliquis, modice curvatis, antennis alte, ad mediam altitudinem orbitalium, insertis; de latere inspectum globosum, paullo longius quam latius proportionem 6:5, orbita ovata-rotundata, postice subrecta, $\frac{2}{3}$ latitudinis capitis aequante; area ocellari et faciei parte suprema fere in eodem plano antrorsum leniter

declivi, dispositis. Ocelli triangulum rectangulum fingentes. Mandibulae 3-dentatae, dentibus parvis, interiore apice truncato.

Antennae pedicello pyriformi, articulo sequente latitudine manifeste longiore, basi paullo minus quam apice lato, obconico, articulis funiculi usque ad 4. leniter ventricosus, prope basim latioribus, primo latitudine sesquolongiore, 6. quadrato, 7. transverso, quam primo sesquiliore; clava magna, longitudinem articulorum quinque praecedentium superante, distincte 4-segmentata.

Thorax non robustus, latitudine longior proportione 100:42; colari maiusculo, superne inspecto antice truncato, postice profunde concavo-marginato, longitudine in linea media $\frac{1}{3}$ scuti attingente; scapularum sulcis tenuissimis vix conspicuis, antice obsoletis; axillis parum remotis; scutello forma fere ovata, limbo marginali prominente, apice truncato, freno sculptura minus conspicua distincto, nitido, foveolis octo prope limbum, parvis, impressis; pronoti ac mesonoti sculptura minute reticulata-punctata; dorsello minutissime et confertissime punctulato; metanoto, modice vitro aucto, dense punctulato, microscopio inspecto punctulato-alveolato lineisque irregularibus paullo magis salientibus reticulum fingentibus, costa incurva prope latus posticum instructo; spiraculis angustis; metapleura lineis salientibus reticulata, nec zona abrupte declivi marginata; mesosterno superficie tota reticulata-punctata; mesopleura laevi, nitida, secundum lineam foveae rotundae tangentem depressa; praesterno triangulari subaequilatero.

Proalae magnae, duplam thoracis longitudinem nonnihil superantes, cellula costali in dimidio apicali, cellula basali praeter zonam angustam longitudinalem, pubescentibus; cellulae costalis, nervi marginalis, postmarginalis et stigmatici proportionem sicut 100:74:30:15; nervo stigmatico longo, vix versus apicem dilatato, at clavam nullam formante; nervo postmarginali acute terminato.

Pedes anteriores satis validi; pedes postici coxa elongata, quam femore paullum brevior, ad basim vix quam ad apicem latiore, latitudine maxima $\frac{1}{4}$ eius longitudinis aequante, superficie leniter scabra, auricula parva; femore robusto, oblongo, latitudine maxima pone $\frac{1}{3}$ longitudinis, $\frac{36}{100}$ huius aequante, latere dorsali paullum convexo et usque ad $\frac{2}{3}$ longitudinis subrecto, deinde leniter sinuato, latere ventrali pone dentem anteriorem recte ad articulationem tibiae oblique vergente, dentibus sex armato, quorum 2. et 3. parvuli, 4. primo aequalis, 5. omnium maximus, praecedente sesquolongior, 6. triangularis, quam 5. vix brevior, hi ultimi magis inter se remoti; tibia

basi dilatata, prope basim itemque non longe ab apice, fortiter curvata, spatio interposito recta, margine apicali extus inermi. Tarsi sat robusti, articulo 1. compresso-dilatato; articulorum proportione in tarso medio sicut $35+7+6+5+8$ (pulvillo non computato), latitudine articuli primi $\frac{1}{6}$ longitudinis aequante; in tarso postico sicut $24+8+6+5+10$.

Abdomen thorace paullum longius, tergito basali dimidiam longitudinem fere attingente, medio margine inciso, 2. et 3. late, 4. anguste, angulatim incisus; lamina apicali linguiformi, segmento octavo (sive X) pertinente, setis sex prope basim insertis instructa. Terebra valde elongata, corpore magis quam duplo longior.

Long. 4,7 mm., terebrae 10 mm.

Nomen. Species clarissimo doctori Walther Horn dedicata.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Konowia \(Vienna\)](#)

Jahr/Year: 1926

Band/Volume: [5](#)

Autor(en)/Author(s): Masi L.

Artikel/Article: [H. Sauter's Formosa-Ausbeute. Chalcididae \(Hym.\). 170-178](#)